

judicio pene in cunctis actibus placens, mox ut praessurae pondere caruit, in tumorem vulneris erupit, factusque est in morte viri crudeliter rigidus, qui in appetitu foeminae fuit enerviter fluxus: et qui malis ante noverat pie parcere, in honorum quoque necem post didicit sine obstaculo retractationis anhelare. Prius quippe ferire deprehensum persecutorem noluit, et post cum damno desudantis exercitus etiam devotum militem extinxit. Quem profecto ab electorum numero culpa longius raperet, nisi hunc ad veniam flagella revocassent.

CAPUT IV. QUOD PLERUMQUE OCCUPATIO REGIMINIS SOLIDITATEM  
DISSIPET MENTIS.

Saepe suscepta cura regiminis, cor per diversa diverberat, et impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. Unde quidam sapiens provide prohibet, dicens: Fili, ne in multis sint actus tui: quia videlicet nequaquam plene in uniuscujusque operis ratione colligitur, dum mens per diversa partitur. Cumque foras per insolentem curam trahitur, a timoris intimi soliditate vacuatur: sit in exteriorum dispositione sollicita, et sui solummodo ignara, scit multa cogitare, se nesciens. Nam cum plus quam necesse est se exterioribus implicat, quasi occupata in itinere obliviscitur quo tendebat: ita ut ab studio suae inquisitionis aliena, ne ipsa quidem quae patitur damna consideret, et per quanta delinquat ignoret. Neque enim peccare se Ezechias credidit, cum venientibus ad se alienigenis aromatum cellas ostendit: sed in damnationem securae prolis ex eo iram judicis pertulit, quod se facere licenter aestimavit. Saepe dum multa suppetunt, dumque agi possunt, quae subjecti quia acta sunt admirentur, in cogitatione se animus elevat, et plene in se iram judicis provocat, quamvis per iniqua foras opera non erumpat. Intus quippe est qui judicat, intus quod judicatur. Cum ergo in